DIVO JOSEPHO DEIPARAE SPONSO SE SUASQUE METAPHISICAS THESES DE DEI EXIXTENTIA, DE NECESSITATE...

Giuseppe Becherini

DIVO JOSEPHO

DEIPARAE SPONSO

SE SUASQUE METAPHISICAS THESES

DE DEI EXISTENTIA, DE NECESSITATE REVELATAE RELIGIONIS
AC DE ANIMAE HUMANAE LIBERTATE

QUAS

IN REGIO COLLEGIO PRATENSI

PUBLICE PROPUGNANDAS ASSUMIT

D. D. D.

JOSEPH BECHERINI PRATENSIS

IN EODEM COLLEGIO PHILOSOPHIAE ATQUE MATHESEOS AUDITOR

DATA CUILIBET TOST TERTIUM ARGUENDI FACULTATE

FLORENTIAE MDCCLXXV

TYPIS REGIAE CELSITUDINIS PER CAJETANUM CAMBIAGI

SUPERIORUM FACULTATE

DEum exiſtere rerum omnium Hominiſque ipſius auctorem conſervatoremque beneficentiſſimum, proindeque Deum ipſum colendum eſſe atque pertimeſcendum, quin Homo patrocinium ſceleri inveniat in actionum neceſſitate, ſi quando ab officio deſiciat, optimi Philoſophorum ſemper profeſſi ſunt. Quamobrem innumera invenire eſt vel apud Ethnicos egregia ſcripta adverſus Epicurum atque Democritum, qui Divinitatem omnem atque Religionem negabant, adverſus Stratonem quoque Lampſacenum caeteroſque omnes, qui libertatem Hominibus adimere contendebant. Verum tanta adeo hac noſtra aetate irrepſit in Mundum cogitandi ſcribendique licentia, ut rari non ſint, qui Democriti Stratoniſque ſententias ſuſcitare conentur, ſive impudenti quodam acti novitatis ardore, ſeu quo liberius in vi-

vitia proruant ſtimuloſque conſcientiae, quibus perpetuo exagitantur, ſuffocent. Quantumvis enim de Deo recte ſentire ſimulent, involutis tamen rationibus ſophiſmatibus atque ambagibus eo tandem pervenire ſtudent, ut Dei exiſtentiam in dubium ſaltem revocent, Religionem omnem ab ignorantia, metu quoque, ac praejudiciis derivatam velint: Hominem vero neceſſario operari quaecumque operatur affirment, atque, magno Religionis & Reipublicae malo, illud tandem inferunt impudentiſſime, metum ſcilicet Divinitatis, Legumque omnium indignum eſſe Hominibus, nullam autem poenam manere flagitioſos Homines, ſi tamen flagitium appellandum eſt, id quod ex Hominum ipſorum ignorantia atque praejudiciis hoc nomen obtinuit. Quandoquidem vero metaphiſicorum praecipue eſt ſententias ejuſmodi impetere atque oppugnare, exinde factum ut ſtudiorum noſtrorum ſpecimen aliquod de more daturi ſequentes Theſes, quae ſuperius indigitatis omnino adverſentur propugnandas ſuſceperimus.

THE-

THESIS PRIMA.

Deus exiſtit.

Ulla unquam opinionum varietas, nulla unquam fuit controverſia, neque inter Atheos ipſos, quod Dei Nomine, ſi quando exiſtat, intelligatur Ens illud, quod a ſe ipſo neceſſario eſſentiaque ſua, independenter ab alio, ita exiſtit, ut ab illo res omnes quae exiſtunt, libere conſulteque productae ſint ac conſerventur, ſive, ut ait Cicero Tolcu L. 1. c. 27 Deus a nobis intelligitur, quasi mens ſoluta quaedam & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens ac movens, ipſaque praedita motu ſempiterno. Quod cum ita ſit, non eſt, cur immoremur diutius in Dei notione acquirenda, ſed Dei ipſius exiſtentiam, quae Religionum omnium, Chriſtianae vero potiſſimum ac praecipuum eſt fundamentum, ſtatim demonſtrandam aggredimur.

Ac primo, nulla ex veteribus, nulla ex recentioribus nationibus non eſt confeſſa ac venerata ſupremam aliquam eamſam exiſtere, Deum nimirum, atque hunc colendum, atque pertimeſcendum unanimi conſenſione ſemper aſſerunt „ Perſa, Gothus, Aegyptius Deum agnoſcunt, ajebat Hieronimus Epiſt. ad Neocratanum, Beſtorum Tetitas, & Pelaſgorum Turba po-

polorum ſtridorem ſuum in dulce numinis ejus fregerunt meſos, & totus mundi una vox eſt Deus eſt „ Quicumque vel perantiquiſſimarum, ac longe ſemotarum nationum hiſtorias evolvet, in eo omnes conſenſiſſe comperiet. Hujuſce rei luculentiſſimos habemus teſtes, prae caeteris, Platonem de Legibus Lib. III. Ariſtotelem de Caelo Lib. I c III Diodorum Siculum Lib. XL Senecam epiſt. 116, atque altos ſexcentos. Tullius vero, cujus teſtimonio libentiſſime utimur Lib. I de legibus haec habet = Nulla Gens eſt neque tam = immanſuera, neque tam fera, quae non, etiamſi ignoret = qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat =. Et quidem Gentes quoque, ac Populi omnes nuper a nobis cogniti, Islandi, Americani, Peruani, Mexicani, Hottentoti, Moluccheti, & ſi qui alii derecti ſunt vel penitiſſimi ac barbari, hi omnes licet obſcuram atque confuſam, ideam tamen habuiſſe ſupremi cujuſdam moderatoris, ac rerum omnium conditoris inveni ſunt. Illos autem cultu, ac Religione quadam Deum ipſum colere, ac venerari, compertum eſt ex perpetuis Europaeorum itineribus. Quae cum ita ſe habeant, certiſſimum exinde emere eſt teſtimonium exiſtentiae Dei, conſenſus namque omnium Gentium, ut ait Cicero, naturae quaedam vox eſt. Atque ut animadvertit Guilelmus Parisienſis L. de virtu. c. 2 Quod natura univerſaliter, & naturaliter confiteatur, neceſſe eſt verum eſſe. Naturam enim naturaliter & univerſaliter mentiri poſſe impoſſibile eſt. Ac re quidem vera hon colloquutio hominum, aut conſenſus effecit, ut homines, atque omnes nationes ſibi perſuaſerint, ac teneant conſtantiſſime Dei exiſtentiam. Non inſtitutis ea opinio eſt confirmata non legibus, ſed a Natura ipſa, a Deo ipſo hanc homines hauſiſſe doctrinam credendi ſunt. Divinae ſcilicet Naturae ea eſt vis, ut Creaturae rationali jam ratione utenti non omnino ac penitus poſſit abſcondi. Et ſane, inquit Cicero, niſi id cognitum, comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una enim ſaeculis aetatibuſque hominum inveterare poteſſet. Etenim videmus caeteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuiſſe. Opinionum commenta delet dies, Naturae judicia confirmat. Re-

Reponunt fortaſſe nonnulli, quod falſo aſſumitur, Gentes ubique omnes ac ſemper credidiſſe Divinitatem quamdam exiſtere. Strabonis namque luculentiſſimum habemus teſtimonium, L. III. Geogr., ubi Antiquos Aethiopes, & Callaicos Hiſpaniae populos inter Atheos numerat. Certum eſt praeterea ex relationibus Viatorum ac mercatorum, quod plurimi nuper detectarum Regionum Incolae nullam habuerint exiſtentiae Dei notionem. Plures denique, ac plures ex veteribus Philoſophis inter Atheos vulgo connumerantur. Verum, ad Strabonis teſtimonium quod attinet, paucis reſpondemus, quod Strabo ipſe nimirum ea retulit de memoratis Populis, quae ex incerta fama acceperat; inquit enim „ quidam perhibent eſſe Atheos „. Viatorum vero ac mercatorum relationes de Populis illis, qui nuper detecti fuerunt, falſitatis jam arguuntur a caeteris Europeis omnibus, qui cum iſdem nationibus frequentiora agitare caeperunt commercia. Haec vulgata fuerant de Groenlandis praecipue, atque de Incolis Capitis Bonae ſpei. Sed ex Kolbo, atque Malleto conſtantium protſus etuitur. Quod ſi inter Philoſophos nonnulli Atheorum nota inuſti fuerunt, non ideo Atheos illos credideris. Ipſi namque popularibus praejudiciis exuti, ac vulgi ſuperſtitionem ridentes, non mirum eſt, ſi in eum cenſum fuerunt relati. Protagoram, Anaxagoram, Diagoram ideo Atheos creditos, quia popularia numina ſpernerent, Pantheiſmum negarent, Deum unum colendum eſſe dicerent, peroppportune obſervabat Clemens Alexandrinus. Ex quo etiam dicimus, quod Evehemerus fuerit Atheus accenſitus, quia Deorum nativitatem, eorumque mortem, ſepulcra quoque indicaverit, de Socrate idem ſentiendum, ac de Pitagora, qui ſolem Deum eſſe negaverit. Arnobius autem, Juſtinus Martir, atque Minutius Felix praeclariſſimi teſtes ſunt, quod Athei credi ſint populi omnes qui nec Deos omnes, neque immenſo illo caeremoniarum apparatu venerarentur; quemadmodum primis Chriſtianis contigit atque Judeis, qui nec Templa habebant, popularea ac Gentium Deos abominabantur, unum Numen ac ſolum mente colebant. Sed fuerint olim, ac modo ſint quidam, qui nullum

extare Deum arbitrentur, quid inde? Gratiam audiamus in egregio opere, cui titulus de veritate Religionis Christianae l. 1. c. 2 Pauerras ipsa, & quod statim intellectis argumentis, rejecta universim est eorum opinio, ostendit, non provenire hoc ex usu rectae rationis, quae hominibus communis est, sed aut ex studio novitatis, quali tenebatur, qui nivem atram esse contendebat, aut ex mente corrupta, sicue vitiato palato res, non ut sunt, ita sapiunt, praesertim cum historiae, & alia scripta doceant, quo quisque fuit probior, eo diligentius ab ipso custoditam de Deo veritatem atque adeo ab ingenii pravitate (eorum maxime, quorum interest, ne quis sit Deus, idest humanarum actionum judex) ortam hanc a tam recepta antiquitas sententia dissentionem, vel hinc apparet, quod quidquid illi ponunt, sive generum successionem absque ullo primordio, sive Atomorum concursum, sive aliud quidvis, id non minores, si non majores, habere difficultates, neque eo, quod receptum sit, magis consonum esse veritati.

Eam igitur esse, ac semper fuisse communem, atque universalem omnium Populorum persuasionem, quod Deitatis quaedam existat, meridiana luce clarius patere arbitrantur. Ad aliud modo progrediantur argumentum, ex ipsa sensibilium rerum contemplatione desumptum. Invisibilia Dei, animadvertit Apostolus Paulus, a Creatura Mundi per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, ac Deitas. Res autem sensibiles canebat Petrarca

..... Son scala al Fattor, chi ben le stima.

Constat autem, Lucretio vel ipso teste, ex nihilo nihil fieri posse. Non omnia ergo caeperunt in tempore, neque interire potuerunt. Si namque admittimus omnia caepisse in tempore, admittamus quoque necesse est, quod aliquando nihil fuerit, progressionem namque in eo infinitam repugnare, non est qui non videat. Si autem aliquando nihil fuit, cur, quo modo, vel a quo facta sunt quae jam existunt, ac sunt? Unde nam traxerunt originem? Nam ex nihilo? Absurdum.

Num

Num a ſe ipſis? Verum quod aliquid producere poſſit ſe-ipſum repugnat, & contradictionem involvit manifeſtiſſimam. Producens enim diſtinguitur ab eo quod producitur, illud vero quod modo producitur, jam non exiſtebat antequam producereturr. Quidquid igitur produceret ſe ipſum, ſimul eſſet & non eſſet. Quamobrem fateamur oportet, exiſtere ab aeterno Ens aliquod independenter ab alio, & quod ſit rerum omnium cauſa, totiuſque univerſi principium. Invictiſſimum hoc eſt argumentum, & quo optime utuntur Philoſophi omnes, tum Ethnici, tum Chriſtiani, ut ad agnitionem exiſtentiae Dei homines vel invitos perducant. Ex operibus igitur in tempore factis Opificem aeternum agnoſcimus. Sed opera ipſa in tempore facta diligentius inveſtigemus, & cum Chryſippo apud Ciceronem ſic ratiocinemur. Si eſt aliquid in rerum natura, quod Hominis mens, quod ratio, quod vis, quod poteſtas humana efficere non poſſit, eſt certe, quod illud eſt, Homine melius. Atqui res coeleſtes omneſque eae, quarum eſt ordo ſempiternus ab Homine confici non poſſunt, eſt igitur id, quo illae conficiuntur, Homine melius. Id autem quid potius dixeris, quam Deum? Etenim ſi Dii non ſunt, quid eſſe poteſt in rerum natura Homine melius? In eo enim ſolo ratio eſt, qua nihil poteſt eſſe praeſtantius. Eſſe autem Hominem, qui nihil in omni mundo melius eſſe, quam ſe putet, deſipientis et arrogantiae eſt. Ergo eſt aliquid melius. Eſt igitur profecto Deus. Sed remota ſolemni diſputandi, liceat contemplari pulchritudinem, atque ordinem rerum omnium, quibus Orbis univerſus exurgit. Terram primum, & quae in ipſa producuntur conſtantiſſimoque ſemper ordine regenerantur, Florum, Herbarum, Arborum incredibilem multitudinem, quae infatiabili varietate diſtinguntur; Beſtias quoque, Pecudes, Volucres contemplemur. Elementa inſpiciamus, aerem praecipue, qui miro fere modo alit animantes, eique ſuſtinet. Quis haec intuens, quis, qui tam certos caeli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa & apta videt, negat in his ullam ineſſe rationem, eaque caſu fieri dicat, quae quamvis conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus. Sed ſi etiam ſola

Hominis fabricatio perſpecta, omniſque humanae naturae figura, atque perfectio. Circumſpiciamus, inquam, cum Mercurio Triſmegiſto humani corporis opificium, cujus admonitione perdiſcamus, quis tam pulcrae imaginis conditor, quis oculorum pictor . . . . . quis nervos tetendit, atque ligavit, quis irrigavit venas, quis oſſa congeſſit ſolida, quis carnem pellicula tenui circumtexuit, quis digitos, articuloſque diſcrevit . . . . quis jecoris poſuit texit fibras, quis pulmonum ſculpſit fiſtulas . . . . Videamus quot divinae artis opera in una materia demonſtrantur, ſingulaque, pulcra rectaque dimenſa nec non proprius invicem officiis differentia. Quis nam ſingula finxit? qualis mater? Non haec ſolus ipſe invisibilis Deus concta propria voluntate molitus eſt? Et cum ſtatuam & Imaginem abſque Fabro & Pictore fieri, nullus aſſerere audeat, mirum mundi hujus conſtitutionem ſine conditore conſtitiſſe putabimus? Nullus igitur eſſe poteſt, qui vel mundum contemens, vel humani corporis mirabiliſſimam proſus ſtructuram inſpiciens, non videat, non intelligat ſupremi cujuſdam numinis, & Creatoris exiſtentiam. Ordinatiſſima namque ſua mutabilitate mundus & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter Magno, fieri ſe potuiſſe proclamat. An, cum machinatione quadam moveri aliquid cernimus, non dubitamus, quin illa opera ſint rationis; Cum autem impetum coeli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, conſtantiſſima confitentem vicissitudinis anniverſarias ſumma cum ſalute & conſervatione rerum omnium, dubitemus, quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam ratione?

COROLLARIUM

FAllantur igitur Atheï, qui negant, Dei exiſtentiam neutiquam poſſe ex Creatis demonſtrari, atque ei rerum omnium conditorem nullum admittere cogantur, non verentur aſſerere, quod mundus, & univerſe, quae in illo ſunt corpora, concreſcere potuerint, nec repugnat concreverint, ex

fortuito omnino atomorum concurſu. Perridiculum ſane ſyſtema, & cui quiſquis facile ſatisfaciat interrogans, Quid in cauſa ſit, ut conjuncta haec naturarum in orbe diverſitas, atque invicem diſcors non diſſocietur, non divellatur? Cur tam certus naturae ordo procedat? Ens aliquod utique admittendum eſt, a quoquae invicem connexa ſunt contineantur, a quo ſemper manente atque immutabili, mutationum varietates diſponantur. Atque hic opportune, ac lepidiſſime ut ſolet interrogabat Tullius l. 2 de Nat Deo. ſi innumerabiles Literae, vel aureae vel quales libet, aliquo conjiciantur, num poterunt ex his in terram excuſſis annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici? An ne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna putandum eſt? Si mundum efficere poteſt concurſus atomorum, cur Porticum, cur Templum, cur Domum, cur Urbem non poteſt? Quae ſunt minus operoſa, & multo quidem facilora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut nihil quidem nunquam hunc admirabilem coeli ornatum, qui locus eſt proximus, ſuſpexiſſe videantur. Haec Tullius. Commentum ſit praeterea, neminem dare poſſe, ac communicare, quod ipſe non habeat, num atomos ab aeterno, & natura ſua ratiocinantes introducemus, ex quibus deinde invicem concurrentibus exorta ſit rerum univerſitas, atque homo ipſe ratione praeditus atque donatus? Oh quanta commenta in uno deliramento! Plura adverſus Democrit, atque Epicuri ſyſtema ſuper atomorum concurſu habet Tullius de natura Deorum. Nos vero adverſus Atheos noſtrorum temporum pauca haec cum Cl. Blaiſio Paſcali ſubjicimus. Si profiteamur Deum eſſe, ejuſque Leges, ut decet obſervemus, ſi forte Deus non exiſtat, quod abſit ut cogitetur, nullum periculum ſubimus, immo honeſtae ſapienterque inſtitutae vitae ratione fruimur. Si vero negemus, Deum eſſe, omnemque proinde religionem deſpicianius, ſi forte Deus exiſtat, periculum certe ſubimus quo nullum gravius eſſe poteſt, atque in infamiam Hominum vitam belluarum more degentium apud ſapientes quoslibet incidimus. Quiſquis igitur de hac veritate deliberat in bivio eſt, a dextris nullis obnoxia periculis via ſeſe exhibet, a ſiniſtris quae obtenditur via, maximis non vacat periculis. Quapro-

propter si utraque vitari nequeat, & altera nullum commodum afferat praeter brevissimam voluptatem, quae cum periculi magnitudine nulla prorsus ratione potest comparari, & cujus inanem tantum distat ab exitu quantum vita a morte; furor ergo esset hanc alteri anteferre.

THESIS SECUNDA

Deus ille, quem existere novimus, cultu aliquo, ac Religione est colendus: Revelatione autem opus est, ut Homo cognoscat quo cultu, qua Religione potissimum debita erga Deum officia exequatur.

BEatiorem vitam, ac feliciorem acturum humanum Genus, si nulla Religione obstringatur, non defuerunt qui dictitarent, nec desunt hac nostra aetate qui id ipsum cum Bayle, Voltaire, Rousseau, Boulio, ac de l'Ametrie persuadere conantur. Saepius, ac saepies illud Lucretii commemorant

„ *Tantum Religio potuit suadere malorum* „.

Si quando considerant Hominem vel Supremi Numinis reverentia, vel metu legum, vel principis Religionis cujuscumque obligatum, propriis adversarii affectibus, atque adeo vitam agere perpetuo quodam conflictu solitasse miserrimam, Hobbesius quoque in haec verba prorumpere non veritus est: Religio, inquit, docet malum esse, quod privatae adversatur hominum conscientiae, sive judicio, quod plerumque errori obnoxium est. Ergo eadem jubet, praecipitque formidine Religionis non audiendas esse Principum Leges, adeoque societatis humanae hostis est, & pernicies Regiminum. Haec impie Hobbesius, verum adversus illum, ceteroscque ejus furiosis hostibus sic liceat argumentari

Deum existere, eumque esse rerum omnium, proindeque

&

& Hominis auctorem, & conſervatorem inficiari non poſſumus Quamobrem ex eo eſt ſi cogitandi pulcherrima, atque mentis nobili facultate gaudemus, ſi ad motum, atque ad agendum nos ipſos excitamus, ſi aere fruimur quo reſpiramus ac vivimus, ſi toi tantiſque bonis in mundo libertim utimur: ex juſtitia ergo Deo ſervitutis enituu exhibeamus neceſſe eſt. Perfectiſſimus praeterea eſt Deus ipſe bonus, atque optimus, non poſſumus ergo illum amoris atque obſequii cultu non proſequi. Et quidem, nonne ad bonum diligendum ingenito quodam impetu rapimur, eoque vehementius impellimur, quo perfectius & amabilius proponatur objectum? Si Deum igitur tamquam optimum Ens & perfectiſſimum contemplemur, ad ipſum feremur neceſſario, atque cum vehementiſſimo ardore diligendum eſſe fatebimur. At Religio omnis nihil aliud eſt, niſi cultus amoris obſequii ac ſervitutis, exiſtentia ergo Supremi Entis, ejuſque optimi perfectiſſimi rerumque omnium conditoris, Religionem aliquam neceſſario involvit. Quod etiam efficacius vel ex eo demonſtrari, quod nulla Gens neque culta, neque barbara indigitari adhuc poſſit, quae Religione quadam, cultu aliquo, ac ritibus quantumvis pertidenis, ac ſuperſtitioſis omnino caruerit. Hoc autem ex eo profluit quidem, quod cum Gentes omnes Divinitatis cujuſdam exiſtentiam cognoverint, Divinitatem ipſam cultu aliquo colendam eſſe ſenſerunt. Jam quod omnibus videtur, verum eſt: nemo omne, omnes neminem fallunt. Stat ergo noſtra ſententia, corruit autem adverſariorum opinio, qui nulla alia de cauſa Religionem omnem volunt ſublatam, nili ut homines libetius in vitia proruant, nullique deinde conſcientiae ſtimulis exagitentur. Et ſane pietate adverſos Deos ſublata, Fides etiam, & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia, tollitur. Quid autem erit homine truculentius, quid immitius, ſi demptio metu ſuperiore, vim legum aut fallere poſſit aut contemnere? Multum relinquat Homines conſcientia, ſi credamus, nos in conſpectu Dei vivere, Timor Dei ac Religio ſola eſt, quae cuſtodit Hominum inter ſe ſocietatem, per quam vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur.

Religionem itaque aliquam eſſe homini neceſſariam, ut de-

debite officia erga Deum Creatorem, & conſervatorem ſuum exequatur in comperio eſt. Cuiquumque autem patet Religionem omnem, vel eſſe a Deo ipſo hominibus revelatam atque imperatam, vel talem, quam ratio ab ipſa rerum natura informata omnibus hominibus praeſcribat. At qui ſola ratione duce nequaquam homines adhibere poſſunt Supremo Numini atque ſtatuere, quo culta praecipue, ac Religione Deus rite colendus ſit, diligendus, debitoque proſequendus obſequio. Revelata igitur Religio una eſſe debet, in qua homines debita erga Deum officia exequantur, ac finem ſuum conſequantur. Ad maiorem id circo quod attinet, haec lubeat in primis cum Cicerone de nobis metipſis fatere = Simul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continua pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cum vero Parentibus redditi, inde Magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatae natura ipſa cedat. Cum vero accedit eodem quaſi maximus quidam Magiſter Populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque ipſa deſciſcimus. Quid vero fiet, dum voluptatum illecebris ferme ingenii cupiditatum aeſtu homines abripiuntur? = Num igitur hiſce omnibus praeiudiciis, atque voluptatibus abſtracti, & illecti, num de Deo recta ſentire, num quae illi debeantur, quae noſtrae veraq; felicitati conferant revera valeamus agnoſcere? Inſanus profecto mentoque dicendus erit, qui hoc adfirmare contendat. Quos ſibi finxere Deos quae Numina Antiquitas univerſa, non eſt qui ignoret, adeo ut Momus apud Lucianum clamitaverit, ſe, niſi Caelum tot Monſtris purgetur, inde abiturum. Fidem faciunt flagitioſiſſimi Iuppiter, Venus impudica, Subdolus Mercurius, Numina Aegyptiorum, ac barbarorum nationum inquae prope Templa purificationes, immundae etiam caſtimoniae, humana ſacrificia, ac ſuperſtitiones omnes prope innumerabiles, quae ideo invectae videantur, ut licentius peccarent homines, ac Divinitatem lacederent potius, quam ut ipſam debito cultu, & Religionis actibus proſequerentur. Manifeſto

igitur

igitur patet, quod ſola ratione duce neqnaquam homines poſſunt adhibere Supremo Numini, atque ſtatuere cultum ac religionem qua praecipua Deus rite colendus ſit, ac diligendus. Falluntur igitur Voltairus, Poupeaus, caeterique huiuſmodi homines, qui Naturalem Religionem ſatis eſſe contenderunt ad omnia erga Deum officia exequenda. Cum autem naturalis ratio neqnaquam ſufficiat ad inſtituendum hominem in pietate ac vera Religione; Deos vero, ut pote optimus, atque beneficentiſſimos hominibus deeſſe non poſſit in ea praecipue, quod ſpectat ad finem, ob quem creavit illum, finis autem ille nullus alius profecto ſit, quam ut ab homine Deus ipſe agnoſcatur, ametur, ac debito honore colatur, manifeſto conſequitur, quod Religio, in qua homines finem hunc attingere valeant, neceſſario debuerit per Deum ipſum hominibus revelari.

COROLLARIUM

QUandoquidem Chriſtiana Religio a Deo hominibus eſt revelata: ea igitur una eſt, in qua homines debita erga Deum officia exequantur, ſuumque attingant finem. Quod autem Chriſtiana Religio a Deo fuerit revelata unico evinci poteſt argumento, atque ea efficaciſſimo, quo a miraculis repetatur. Verum igitur miraculum vulgo illud eſſe intelligimus, quod ſit praeter ordinem totius naturae creatae, ſub quo ordine continetur omnis virtus creata, proindeque vel Deus ipſe illud operatur, vel Deo non tantum permittente, verum etiam volente patrari poteſt ab homine. Cum autem Ens Supremum optimum ſit, iuſtum, verax, irreprehenſibile, nullum profecto miraculum operabitur, quod falſae doctrinae auctoritatem conciliare poſſit vel minimam, miracula vero, quae in confirmationem alicuius doctrinae edita ſunt, manifeſto evincunt doctrinam ipſam ad Dei gloriam promovendam, hominumque felicitatem & ſanctitatem comparandam eſſe maxime accomodatam: atque a Chriſto Domino, plura & plura edita ſunt miracula, quibus ſua comprobaretur Divinitas, atque hominibus demonſtraret doctrinae ſuae, ac

revelationis veritatem. Christianorum ergo Religionem, quae huic doctrinae innititur, veram esse, atque a Deo revelatam non possumus quin affirmemus. Quod quidem manifesto consequitur, si quando constet, Legislatorem Nostrum Christum Iesum vera edidisse miracula. Ei sane licet Mortalium mentibus impervium hactenus, & obscurum sit, quibus polleant facultatibus rum materiales, tum immateriales substantiae, non iis tamen pollere credendae sunt, quibus evertere valeant Divina Consilia, naturae leges ab ipso auctore praescriptas infringere, ipsiusque naturae cursum penitus immutare. Mortuos autem, vel quatriduanos in lucem revocare, Claudis, paralyticis, caecis, vel morbo quocumque detentis salutem reddere, subito, nullisque adhibitis medicaminibus, nullatenus virtutis creatae proprium esse arbitrabimur. Ad ea enim praestanda cursus, legesque naturae invertendas omnino esse non est qui non videat. Cum igitur ea omnia praestiterit Iesus, & Apostoli eius Haebreis, Graecis, barbarisque Populis inspectantibus, ea negare utique non possumus, Divinamque Virtutem ac potestatem Nazareno non attribuere, adeoque non licet fallitatis insimulare doctrinam illam, ac Religionem in cuius confirmationem haec patrabantur. Quid vero dicendum est de portentosa, eique inaudita panum, & Piscium in Deserto multiplicatione, de novo quodam nimirum genere creationis? Duobus namque piscibus & quinque panibus quinque millia Virorum exsaturata sunt, ex fragmentis vero, quae superfuerunt, impleverunt Discipuli duodecim Cophinos. Sensus omnes in eo, visum nimirum, gustum, odoratum, saturitatem quoque realem, indubios testes fuisse cognoscimus. Verum ut magis magisque elucescat assertio nostra. Resurrectionem Christi Domini a mortuis paulo attentius liceat considerare. Prodigium hoc, quod Christianae Religionis Caput est, ac fundamentum praecipuum, prodigium hoc ingeam, propria virtute praestitit Christus, ut Divinitatem suam, ac potestatem, ut doctrinae suae veritatem humano generi comprobaret. Semetipsum vero iam vita functum quis enim vel dubitare queat de morte Christi? a mortuis suscitare, Divinam adeo arguit in Iesu Potestatem, verum adeo miraculum

est,

Digitized by Google

eſt, manifeſte adeo veritatem Evangelii damonſtrat, tantumque exinde roboris ac ponderis illi accedit, ut reſurrectione Domini admiſſa nullum ſibi locum relictum eſſe ſenſerint Rouſſeana caeterique Chriſtianorum hoſtes ad Catholicae veritatem Religionis everſendam, vel etiam imminuendam, adeoque falſitatis inſimulare debuerint Diſcipulos caeteroſque qui ſeſe huius rei oculatos Teſtes proferebant. Verum quanta impudentia, quanta temeritate Reſurrectio Chriſti impugnabitur, non eſt qui non videat, adeoque Chriſtianae praecaeteris omnibus veritatem Religionis, eiusdemque Divinam inſpirationem vel ex ipſis tantummodo miraculis erui poſſe, ſatis apparet.

THESIS TERTIA

Homo libertate gaudet ad agendum, vel non agendum, merito adeo vitium, malumque omne Hominibus imputatur.

HOminem libertate gaudere adſirmarunt, ac crediderunt quicumque non quaeſiverunt ſceleri patrocinium in actionum neceſſitate, ſtatuentes animam humanam neceſſario operari quaecumque operatur. Et quidem ſi verum fateri velimus, intimo ſenſu certiſſime noſcimus, nos ea facultate donatos, qua ad agendum vel non agendum, variosque horum nobis metipſis compatandos indifferentes efficimur. Atque adeo id novimus, ut ipſe M. d' Alambert Tom. 4. Melangea, iure, merito que ſtatuerit, huius facultatis, ſeu libertatis notionem ab unica conſcientia proficiſci, nullumque maius propriae nos exiſtentiae, quam libertatis argumentum habere poſſe. Quamquam haec extra dubium omnia poſita videantur, haec voluntatis affectio ſublata fuit omnino a Stratone, & Democrito, eiuſque aſſeclis, qui omnes ſingularium rerum eventus a fato praeſcriptos eſſe aiebant, ac definitos.

Aſſyria

Assyrii quoque ferme omnes, Chaldaei, & Astrologi cuncta Syderum potestati, eorumque influxibus, & variis aspectibus subiiciebant. Inter Academicos autem non pauci libertatem quidem primum hominem donatum fuisse non infitiantur, sed per peccatum ipsius ereptam fuisse illi hanc facultatem, seu potius in nobis omnibus confectam esse, atque extinctam blasphemant.

Nos autem affirmamus, hominem libertate praeditum esse, & ornatum. Nullis namque habitibus informatos homines nasci exploratum est, paulatim plures diversosque induunt, obliterant alios, alios fovent, totique in diem, cum volunt, nulla urgente causa intrinseca vel extrinseca immutantur. Non est qui non intelligat, se ita ad obiectum aliquod determinari, ut simul vim quamdiu activam non sentiat in semetipso, qua id avertere possit, quod appetebat, vel appetere quod fuerat aversatus. Bonum aliquod, seu malum aliquod intrinsecus sub specie boni intellectus percipiat atque cognoscat, in id certa ferri voluntatem nostram quotidie experimur, sed non adeo ferri intelligimus, ut liberos quodammodo non sentiamus nosmetipsos ad bonum illud respuendum, si quando vellemus respuere, etiamsi reapse & in actu non velimus. Nonnullos actus elicere per legem cogimur. Poenarum timore fortasse actus ipsos elicimus, sed sentimus interea nos ea libertate donatos, qua poenis omnibus spretis actus eosdem omittere valeamus. Rationibus hisce omnibus, quae cogitationi nostrae innituntur, magni profecto ponderis argumentum accedit ex universali, atque perpetuo omnium consensu desumptum. Et quidem sese homines omnes liberos credunt. Absurdum vero est asserere, omnes homines falli in eo praecipue, quod propriae ipsorum experientiae innititur, in omni enim omnium gentium consensu, ut ait Tullius, lex naturae putanda est. Universalis autem persuasionis huius efficacissimum est argumentum, quod nullus est populus, qui certis non regatur legibus, nullae gentes, quae virtuti praemia, delictis poenam non constituerint; nullibi non adhibentur preces, hortationes, minae, quibus ad bonum excitentur alii, ab malo avertantur. Insanum plane foret poenas delicto

consti-

conſtituere, praemium virtutibus, infamiam hortationibus, precibuſque uti, ſeu leges etiam praeſcribere hominibus, ut neceſſario operentur quaecunque operantur. Patet igitur ex hoc, omnes gentes in ea eſſe perſuaſione, quod homo libere omnino ſit ad agendum, vel non ad agendum. Temerarium autem eſt credere cum Spinoſa, & eum paucis alius eiusdem furfuris, univerſalem omnium conſenſum meram uſu ignorantiam, praeiudicium, atque deſipientiam. Sed ut evidentius adhuc pateat propoſito noſtro ponamus hoſtem a milite occiſum in iuſto bello, ac deinde alium dum pacato animo ultra belli leges rem ſuam miles ipſe tantummodo agit. Quid eſt, quod militis animum nullis conſcientiae ſtimulis agitet in primo caſu, torquerit tamen quammaxime in altero? Nonne idem eſt in utroque caſu phyſicum opus? Novit ſcilicet, quod neceſſario impulſus non fuerit ad homicidium illud patrandum, neque excuſationem in neceſſitate invenit, atque adeo libere actionem hanc perpetraſſe animat, ut violatae legis, & leſae Maieſtatis Divinae ſe reum inclamet, etiam invitus, atque ob patratum ſcelus capite dantnatus non audet adfirmare, ſe ad illud ineluctabili neceſſitate impulſum fuiſſe. Sentit nempe animus, ſe libere non alterna morum vi homicidium patraſſe, protndeque merito plecti paenis, quandoquidem potuit actum illum omittere.

COROLLARIUM I.

Coruit ergo fataliſtarum ſyſtema, qui humanam voluntatem bilanci cogitanti non verentur comparare, adfirmantes velle nolle proſequi retrahi in bilance cogitante idem prorſus eſſe, atque in bilance materiali inclinari, attolli, deprimi, trahi. Et quoniam materiali bilanx neceſſario attollitur, vel deprimitur maiori, minorive pondere urgente, attolli autem neceſſario ac deprimi in huiuſmodi bilance perfecto eſt: hinc bilanx cogitans non eligit, ſed trahitur, au fatali neceſſitate inclinatur. Inclinatio vero huiuſmodi non vitium, non culpa, non defectus, ſed bilancis potius perfectio erit dicenda, adeoque immerito vitium, malumque omne morale

homi-

hominibus imputatur. Temeraria prorsus comparatio, nullisque innixa fundamentis! Sed quaeso, si miles ille, qui homicidium in utroque casu perpetravit, ad id perpetrandum bilance inclinante necessario tractus est, cur in postremo tantum casu stimulis conscientiae torquetur? Num praeiudicia educationis haec erunt dicenda? Attamen cur morte delinquentis praeiudicium non deponat, omnia inculset quidem, nunquam vero ineluctabilem, quam passus est necessitatem ad committendum crimen parricidii reatum?

COLLORARIUM II.

NOn est consequens, ex eo quod Deus certus sit omnium ordo causarum, ideo mihi esse in nostrae voluntatis arbitrio. Ipsae quippe voluntates in causarum ordine sunt. Ita Divus Aug. lib 5. de Civ. Dei, & nos cum eo adfirmamus, Divinam praescientiam non officere hominum libertati, ut quidam male autumarunt. Deus namque praescientia sua videt atque cognoscit, me certo determinaturum ad hoc potius, vel ad illud. Praescientia haec igitur non inducit necessitatem, ut aliquid agam, quantumvis id certo, & non aliud sim peracturus. Quemadmodum qui videt me scribentem non efficit prius ut necessario scribam: sed actum hunc, & non alium tunc temporis elicam.

COROLLARIUM III.

PErperam ergo ab Atheis, si qui sunt reapse, a libertinis, atque ab Acatholicis, vel existentia Dei, vel necessitas Religionis revelatae, vel animae humanae libertas impugnatur.

FINIS.